

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1028

1026

1032

1022

1037

1017

1077

0977

0927

0527

0027

Ende

Anfang

455

judaismo peregrinis Christianis se associavit et cum eis per
desertum usque ad hunc locum pervenit, cumque peregrini,
qui ante eum ibant, per portam intrarent, sequebatur eos us-
que ad portam nec amplius procedere voluit, sed attonitus
et stupefactus stetit; quem cum interrogaverunt, quid haberet
et quare non intraret, magno cum gemitu et lacrimis respon-
dit: o fratres peregrini, video supra arcum crucifixum, qui
me ingredi non sinit, nec immerito. Sum enim, fateor, heu,
Judeus et Christo crucifixo usque nunc semper fui inimicus
et me Christianum peregrinum simulavi, ut legis nostrae lato-
rem, Moysen, hic honorarem. Sed video plane me ad Moysen
non admitti nisi per crucifixum, quapropter ex nunc crucifixo
Christo credo et me baptizari promitto et Christianus mori
desidero. Statim autem, ut haec verba finierat, crux disparuit
et ipse sine impedimento cum aliis ascendit, glorificans Deum
et post hoc baptismum suscepit et contra Judaeorum coecitatem
cunctis, quae sibi acciderant, recitavit. Ab hoc ergo tempore
nullus Judaeorum praesumxit adscendere. Si enim possent
libere transitum habere, semper essent ibi peregrini Judaei.

A porta illa ulterius ascendimus ad non modicum spatium
et ad aliam, portae praefatae scilicet, venimus et ingressi por-
tam in quandam delectabilem planitatem venimus, quae finis et
terminus est montis Synai; nam usque ad hunc locum nomi-
natur mons Synai. De illa vero planicie consurgit mons ro-
tundus, altus et totus petrosus, qui est mons Oreb. Totus
tamen mons cum utraque parte inferiori et superiori quando-
que Oreb nominatur. Et nonnumquam superior pars propter
suam petositatem dicitur petra Oreb. Cum ergo per portam
ingressi essemus, ascendimus per campum illum graminosum,
qui erat inter nos et montem Oreb, quia campus declivus
aliquantum erat, et ad unam ecclesiam pulchram et magnam
venimus. Sunt autem tres capellae contiguae, uno murorum
ambitu clausae, una est sanctae Marinae, secunda sancti Heli-
zæi prophetae, tertia sancti Heliae prophetæ.

Porro per parvum et demissum ostiolum est introitus, per
illum ergo portulam venimus in capellam S. Marinae virginis
et prostrati orationes consuetas legimus de processionali et
indulgentias (†) recepimus. De hac sacra virgine habetur

